



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 145. Carolesii Comitis expeditio

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](#)

Sæcul. XV. spondent, quod ipsorum Dux brevi Re-  
 A.C. 1465. giæ suæ Majestati plene satisfacturus es-  
 set. Hac legatione perfuncti, cum in-  
 genti benevolentiae significatione valere  
 jubebantur. Verum vix inde sexta leuca  
 aberant, cum jamjam Bituricensem Du-  
 cem obvium haberent, quapropter una-  
 cum eo protinus versus Britanniam con-  
 tendunt, ubi Dunensis Comes, necnon  
 Loheacius Marescallus, aliique Proceres  
 jam antea convenerant. Re comperta,  
 Rex haud parum ira commotus est, acer-  
 biore tamen longe doloris sensu perce-  
 pit, ipsum quoque Borbonii Ducem de-  
 fecisse, ac in toto Borbonensi agro sedi-  
 tionem conflasse. Idem etiam Regis  
 æraria exsoliabat, ac Ludovicum Crus-  
 solium, Guilielmum de Ursinis, & Orio-  
 lam, quos sibi inimicos crediderat, com-  
 prehendi jubebat.

## §. CXLV.

*Carolesfi Comitis Expeditio.*

*Memoir.* Sub idem tempus nuntiatum est Regi,  
*Comminæi* quod Carolesius Comes copias suas  
*lib. I. cap. 2.* educeret, ac Burgundiae Dux, quamvis  
 hujus conspiracys certior factus esset,  
 adeo non seditionis resisteret, ut etiam  
 filio suo spopondisset, se ei, si forte di-  
 scrimen subiret, centum armatorum  
 millia submissurum. Præterea rumor  
 erat,

erat, quod Carolesius quadringentis ca- Sæcul. XV.  
 taphractis, atque octingentis sagittariis A.C. 1465.  
 stipatus, numerosum tormentorum, &  
 curruum apparatum secum duceret, ac  
 recta Lutetiam properaret, eoquod ibi-  
 dem condicetus ad conveniendum locus  
 esset, & Bituricum, ac Britanniæ Du-  
 cum adventus expectaretur. Euimvero,  
 ut nuntiabatur, res erat; quippe Carole-  
 sius Comes primo in ditionem Camera-  
 censem irrupit, ac Nobiles Crojos inde  
 expulsos in Gallias fugere compulit, de-  
 dum ulterioris victoriæ cupidus, impe-  
 riï curas exercitumque partiebatur, ac  
 Burgundiæ Notho negotium dabat, ut  
 Picardiam cum parte copiarum invade-  
 ret: Eo autem Royam, & Montem - de-  
 siderii urbes occupante, Carolesius vix  
 non Peronnam in suam redigisset pote-  
 statem, nisi a Nivernensi Comite, qui  
 sese eidem opponebat, ad Pontem S. Ma-  
 xentii pedem referre compulsus fuisset.  
 Adhuc tamen propitia eidem adspirabat  
 fortuna; quippe regius Praetor, qui tum  
 Gubernatoris absensis vices agebat, auro  
 corruptus Burgundionibus transitus op-  
 portunitatem concessit, ipsamque urbem  
 tradidit. Cum vero hujus ligæ prætex-  
 tus, quibus suam seditionem honestare  
 conabantur, præcipui essent, abolitio tri-  
 butorum, populi ab ejusmodi oneribus  
 exemptio, regiminis reformatio, ac deni-

Hist. Eccles. Tom. XXIX. N que

Montdidier.

**Sæcul. XV.** que boni publici studium, hinc Carole.  
A.C. 1465. sius, ut sinceram suæ patriæ salutem  
procurandi voluntatem comprobaret, omnes exactionum tabulas comburi, &  
populo sal eodem, quo Regi constat, pretio emendum concedi præcepit.

## §. CXLVI.

*Carolesius ad oppidum S. Dionysii  
pervenit.*

**H**is ita dispositis, Carolesius cum suis copiis servato militari ordine usque ad oppidum S. Dionysii prope Lutetiam processit, ubi Bituricensem, ac Britannum Duces ex condicto expectaverat; horum tamen cunctatione Comes subiugendæ Parisiensis urbis occasionem amisit, quæ certe eidem in hoc temporis puncto sat opportuna accidisset, eoquod urbs omni ferme Regis præsidio destituta, magno rebellium numero repleta esset.

Eo tempore Rex, Borbonii seditionem compressurus, in ejusdem ditione agebat, re tamen comperta mox Carolum Melodunensem & Joannem Ballivem Ebroicensem Episcopum Lutetiam Parisiorum decretivit, ut Parisienses in Regis fide firmarent, ac securitati urbis consulerent. Præterea Rex ubique jussa dedit, ut cunctæ urbes, quæ Somonæ adiacent,